

noctium, mundus in praeceps agebatur, silentio tantum opus ducens. Tam interdiu illis quam nocte patebant prospectus huius pulcherrimae domus; libebat intueri signa ex media caeli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia.

- 43** Quidni iuvaret vagari inter tam late sparsa miracula? At vos ⁵ ad omnem tectorum pavetis sonum et inter picturas vestras, si quid increpuit, fugitis attoniti. Non habebant domos instar urbium: spiritus ac liber inter aperta perflatus et levis umbra rupis aut arboris et perlucidi fontes rivique non opere nec fistula nec ullo coacto itinere obsolefacti sed sponte currentes ¹⁰ et prata sine arte formosa, inter haec agreste domicilium rustica politum manu—haec erat secundum naturam domus, in qua libebat habitare nec ipsam nec pro ipsa timentem: nunc magna pars nostri metus tecta sunt.
- 44** Sed quamvis egregia illis vita fuerit et carens fraude, non ¹⁵ fuere sapientes, quando hoc iam in opere maximo nomen est. Non tamen negaverim fuisse alti spiritus viros et, ut ita dicam, a dis recentes; neque enim dubium est quin meliora mundus nondum effetus ediderit. Quemadmodum autem omnibus indoles fortior fuit et ad labores paratior, ita non ²⁰ erant ingenia omnibus consummata. Non enim dat natura
- 45** virtutem: ars est bonum fieri. Illi quidem non aurum nec argentum nec perlucidos (lapides in) ima terrarum faece quaerebant parcebantque adhuc etiam mutis animalibus: tantum aberat ut homo hominem non iratus, non timens, ²⁵ tantum spectaturus occideret. Nondum vestis illis erat picta,
- 46** nondum texebatur aurum, adhuc nec eruebatur. Quid ergo (est)? Ignorantia rerum innocentes erant; multum autem interest utrum peccare aliquis nolit an nesciat. Deerat illis